

D V C A T V S  
M V T I N A,  
E T  
R H E G I V M;  
cum vicinis Dominiis.



*Fines.*

Angbardiam Transpadanam excipit *Cispadana*. Fines ejus ab ortu Scultenna seu Panarius fluvius cum Romanula : ab septentrione Padus : qua occasus est Padus idem cum Alpibus, Galliam Vltiorem ab Citeriore dirimentibus ; qua meridies, Apenninus cum Etruriæ Liguriæque portione.

*Regionis incholes.*

Regio hæc ob admirandam amœnitatem, incredibilem rerum omnium copiam, gratam deliciarum varietatem, stupendam ingeniorum excellentiam, cum primis Italiæ censenda. Colles ibi videre est jucundissimos, vite, ficu, olea, aliisque arboribus gravidos ; campos tritico, hordeo, faba, cæterisque frumenti generibus convestitos ; incolas rei litterariæ juvanda, tractandis armis, mercaturæ exercendæ plane ad naturam factos ; urbes lautas, & ab natura arteque bene munitas : oppida pagosque populo frequentes.

Mutinæ & Rhegii Ducatus continet, præter has duas civitates, Carpense dominium, Frignanum atque Cafernianæ vallis bonam partem : à septentrione sunt Mantuanum & Mirandulanum territoria : ab oriente Ecclesiasticum dominium prope Scultennam : ab occidente Parmensis Ducatus : atque à meridie, cum ultra Apenninum extendatur, finitimi sunt magnus Hetruriæ Dux & Lucenses.

*Mutina.*

*Mutina*, vulgo, *Modena*, prima à Panaro incipiendo urbs, sita est haud procul Apennino. Attingit eam Formigo torrens. Olim altiore versus montes fuit loco ; docentibus id veterum ædificiorum vestigiis. Lautæ est & splendida. Fores Ecclesiæ Cathedralis admirandæ sunt, cum ob alia, tum ob insignes Adami Evæque ex marmore statuas. Episcopatus floret dignitate. Academiam habet non ignobilem, in qua docuit *Azo* Iurisconsultus, qui se juris arcana in hac urbe referasse scribit ad l. unicam C. de stud. liber. art. Urb. Rom. & Constantinopol. Dedit *Mutina* *Herculem Rangonum* ab Leone X ; *Iacobum Sadoletum*, virum exquisitæ eruditionis, *Gregorium Cortesum* ex ordine Benedictinorum, *Thomam Italia.*

*Badiam*, Sodalitatis Prædicatorum, à Paulo tertio P.M. Cardinales lectos. Nobilis est & *Karolo Sigonio* viro doctissimo, magnoque Historico. Genitrix item *Vgonis Rangoni*, Regiensium Præfulis : *Francisci Mariae Molæ*, *Joannis Francisci*, *Furnii*. Bellica laude celebres produxit *Nicolaum Rangonum* & *Gerhardum* ; *Hannibalem* & *Guidonem* Nicolai filios. Multas habet nobiles familias, in quibus præ cæteris illustris *Rangonum* gens. Quod ad res gestas ; *Tuscis*, qui primum condiderant, expulsis, ab *Gallis Boiis* est occupata ; his profligatis, ab *Romanis*, qui *coloniam* eò, ut & *Parmam* duxerunt, anno ab urbe condita 10 LXXI, *Q. Fabio Labeone* & *M. Claudio Coss.* Obsedit in ea anno 10 CXXI *M. Antonius D. Brutum* ; post ab *Cæsare Octaviano*, juvene adhuc, itemque *A. Hirtio* & *C. Panfa Coss.* liberatum ; *M. Antonio* ibidem castris exuto & fugato, mox inita, ab eodem *Octaviano*, *M. Antonio* & *M. Aimilio Lepido* Triumviratus societate, male fuit habita. Magnis adfecta cladibus ab *Constantino Magno*, quod faveret *Maxentio*, post victoriam est restituta, sacrisque Christianis susceptis, *Geminianum* Episcopum spectatæ virtutis virum tulit. Ab *Gothis* ferro ignique vastata, ab *Langbardis* omnino est subversa deletaque. His ab *Karolo Magno* Italia ejectis, à quibusdam civibus, quorum nominibus portæ fuerunt insignitæ, ædificari de integro quasi cœpit, remotiore nonnihil loco ab veteris urbis vestigiis, sui initio juris suæque potestatis, *Romani* solum nominis auctoritatem sequens, multa contra vicinos, præcipue *Bononienfes*, pro finibus suis gessit. Postea circa annum 10 CCLXXXVII Dominos agnoscere cœpit *Ateftinos*, *Ferrariæ* Duces, voluntate civium ipsiusque Præfulis : anno 10 CCCXII *Mirandulanos*, auctoritate Cæsaris : anno 10 CCCXIX *Bonacolfios*, *Mantua* tyrannos, *Guelphorum* ope, vi coacta : anno 10 CCCXXXI *Pios*, usurpato nomine primum *Capitanei*, deinde Principis. Hos sequuti rursus anno 10 CCCXXXVI *Ateftini*, *Ferrariæ* Marchiones, venia Pontificis *Romani*, qui imperarunt usque ad annum 10 IX, quo *Iulius II P.M.* urbem cepit, & *Maximiliano I* Imperatori cessit, à quo deinceps anno 10 IXIV *Leoni X P.M.* pro decem millibus aureorum nummum pignori data.

Z